...mmi: Dogmata philosophica certis conclusionibus distincta.

DOGMATA PHILOSOPHICA.

Certis conclusionibus distincta

EX

CONTROVERSIIS PHYSICIS

deducta

&

IN

ACADEMICO

POSNANIENSI COLLEGIO

Publicæ Velitationi

Ab

Adamo Stefanowski Philosoph. Auditore

EXPOSITA

Assistente sibi Excell. M. ANDREA BARANKIEWICZ Philosoph: Doctore eiusdemq; Professore.

Anno Domini 1651. Mensis Maij Die 21.

POSNANIÆ,

In Officina ALBERTI REGULI.

ARMA
ILLVSTRISSIMÆ DVCALIS
PROSAPIÆ.



En properat Fidei aduersas mactare cohortes,
Frangere & Ecclesiæ Castra inimica suæ.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

& Reuerendissimo Domino,

D. CASIMIRO FLORIANO DVCI IN KLEVAN CZARTORYSKI

Dei & S. Sedis Apostolicæ Gratiâ

EPISCOPO POSNANIENSI,

Domino & Mœcenati Amplissimo.

SOLVS certè tam à bonis literis, quæ Magnorum Heroum vt virtutes ita & honores venerari & obseruare debent, quàm ab omni humanitate & ingenuitate alienus videretur Philosophicus genius, ILLVSTRISSIME ac REVERENDISSIME PRINCEPS. si inter tot creberrimas easq; densissimas ab omni ætate, conditione, & genere, in hoc ipso Episcopatus Posnaniensis Illustriss: Celsitudinis Vestræ ingressu, gratulationũ phalanges: suæ quoq; obseruantiæ, cultusq; deuoti, negligeret exoluere debitum. Neq; enim minus, Diuinũ ingenium, Homericamq; disserendi vel eloquendi facundiam Illustriss. Cel. Vestræ solers Philosophorum admiratur turba, quàm Vniuersus populus, voce, vultu, acclamationibus, Magnum PRINCIPEM, PRÆSVLEM, & SENATOREM, cum in-

genti excipit lætitia, ac submiſsè veneratur. Nimirùm quemadmodum illa, quæ à ſenſibus humanis ſunt remotiſſima, quorum naturæ præſtantiſſimæ ac eminentiſſimæ ſunt, quales ſempiternæ illæ mentes à corporum ſegregatæ conſortio, cauſam admirationis, hæc amoris, amor honoris, honor venerationis, in animis Philoſophantium pepererunt: ita dum Illuſtriſſimam Celſitudinem Veſtram in hoc ſolo ſancto, & ſolio Paſtorali, Diuina benignitate collocatam, nec quidquam commune cum hominibus mundi, habentem: nilq́; niſi ſanctum, cæleſte, ſupernum cogitantem, intuetur: quomodò dum maximè admiratur: Verens & attonita non Venerabitur: Quare cùm totus Muſarum pluſquàm de ſui Appollinis introitu in Parnaſſum, geſtientium chorus, in communem effuſus lætitiam: pacem, vitam, proſperitatem, Illuſtriſſimæ Celſ. Veſtræ, in primo & auſpicatiſſimo ſuæ Eccleſiæ ac Vrbis ingreſſu, alternis ingeminans imprecetur modulis: cùm Oratorum diſertiſſimorum Panegyres, politiore hoc ſæculo non indignæ, in celebrandis & enarrandis clariſſimis Illuſ.Cel. Veſtræ virtutibus, ſuum ingenioſè explicent ſtudium. Palæſtra Philoſophica: Dogmata hæc Phyſica, quæ Illuſtriſſimæ Celſitudinis Veſtræ Nomini, inſcribit Ampliſſimo, cultus deuotiſſimi ac pientiſſimi affectus ſui, voluit eſſe monumentum & argumentum. Vtinam autem illa digna ſint conſpectu Illuſtriſſimæ Celſ. Veſtræ: nec animum depono: quid enim dignius Principum oculis, Mineruâ & Marte fæderatis, Aquilis militantibus & diſceptantibus; à quorum vno quantò longiùs abeſt Illuſ. Cel. Veſtra tantò magis alteri ſuffragatur. Quòd ſi Principum virorum ſolis in literarum ſtudiis ſumma cum ſumma vtilitate coniuncta eſt delectatio: quæ quidem aliis ex rebus omnibus fluxa, & fragilis atq́; eiuſmodi, vt mæror eam comes è veſtigio conſequatur: ex hac ſola ſolida & diuturna vel potius ſempiterna percipi conſueuit: quid tandem de Illuſtriſſimæ Celſitudinis Veſtræ erga literariam rem animo, ſentiendum eſt? cui tantum ineſſe ardorem & Cupiditatem ſciendi, nouimus. Vt poſtquàm ſuauitatis illius dulcedinisq́;, quæ in literarum ſtudiis abſtruſa eſt & recondita, guſtum ſemel perceperit, nunquam ab eadem ſe diuelli permiſerit: Fuit equidem hæc quondam Magnorum Principum laus vt non aliâ re quàm literis cæteros anteire, pulchrum exiſtimarent. Qua-

leſ

les video cùm alios plurimos, tùm illos duos in Republica Romana Principes viros, & ad omnia summa natos. Marcum Brutum & Caium Iulium Cæsarem, quorum alter tantâ dicitur legendæ hystoriæ voluptate captus fuisse, vt impendentis periculi oblitus, in id vsq; punctum temporis, absq; vlla intermissione legeret, quo in aciem descendendum erat; alter cum hostium vi compulsus se in fluctus è naui proiecisset, vt vitæ salutiq; suæ natando consuleret, alterâ tantùm manu natando vsus, alterâ verò libellos in altum ne madefierent sustulisse legitur. Verùm hæc superstitiosæ antiquitatis contentio, vana, futilis, commentatitia, & merum somnium: quia verâ religione, pietate, & notitia DEI veri destituta: Studium verò Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ pium, sanctum, solidum, Ecclesiæ, Patriæ, totiq; Reipublicæ proficuũ. Pro eo itaq; Studio (vt ad propositum reuertar) vt aliorum virorum literatorum, ita quoq; Palæstræ Philosophicæ, submissam hanc cultus sui & obsequii Illustrissima Celsitudo Vestra, non aspernabitur declarationem. Augetur eò magis spes votorum nostrorum quò sublimiora Philosophicarum, pariter ac Theologicarum in Illustrissima Celsitudine Vestra perspiciuntur ornamenta: quibus ita Illustrissima Celsitudo vestra fulget, vt non tàm humano ingenio, quàm Delphico quodam oraculo videatur instincta. Hoc deniq; sperare iubet pietati & excelsæ menti iuncta humanitas, quam non aliter vt sol quò altiùs se erigit, magis vberioris luminis, diffundit radios, ita Illustris. Cel. Vestra: in supremo hoc Præsuleæ dignitatis collocata solio, non tantùm alicui eam non denegabit, sed eò magis testatam esse optabit. Imperatoris Rudolphi inclytæ gentis Austriacæ primi authoris, hanc vocem fuisse Annales testantur, non ideo Imperator sum, vt in arcula includar, sinite etiam tenuiores ad me venire. Hoc idem de humanitate ac Clementia Illus. Cels. Vestræ persuasum habemus: quam diuina benignitas, & antiquitate Regiæ stirpis ornatam, & plurimarum virtutum, ac sublimium scientiarum ab ineunte ætate studio & amore incensum, Ecclesiæ suæ probatissimum Antistitem, & his quoq; nostris studiis beneuolentissimum præfecit Protectorem. Magnum est beneficium & non nisi diuinitùs datum PRINCEPS Optimus, DEI imaginem repræsentans, quo procedente (vt verbis Senecæ vtar) omnes summi pariter infimi tanquam ad

beneficum sidus aduolant aut in prosperis, aut in aduersis, leuamen & auxilium reportaturi. Accipe igitur PRINCEPS ILLVSTSSIME *pro Tua in omnes ad stuporem effusa humanitate, quidquid à tenuitate Philosophica elaboratum est: quod dum Illustrissima Celsitudo Vestra facit, nos Diuinam Maiestatem, SS. Tutelarium regni intercessione freti oramus, atq; perpetuò exorabimus, vt Te Ecclesiæ Pastorem vigilantissimum, Regni Senatorem consilio grauissimum, Patriæ salutis zelatorem suspiciendum, Academiæ Patronum beneuolentissimum, suis gratiis cumulatum, vita longæuum incolumem & florentem seruare dignetur.*

CON.

CONCLVSIONES CONTROVERSIÆ PRIMÆ.

I.

PHILOSOPHIA naturalis ſeu Phyſica eſt de numero ſpeculatiuarum ſcientiarum, vera & legitima ſcientia, quæ in rerum naturalium Principijs, Cauſis, & Paſſionibus explicandis verſatur: iuxta Concluſiones demonſtratiuè ſcitas habens vnitatem Specificam: iuxta habitum principiorum & concluſionum, Opinionum & Demonſtrationum in ea comprehenſarum Propoſitiones, tali vnitate carens, cum ſic ſit multiplex.

II.

ENs mobile, pro Obiecto Adæquato Phyſicæ; Corpus verò mobile ſeu Subſtantia naturalis, quæ ſunt vnum & idem, pro Principali rectiſſimè aſſignatur: Ens mobile rectiùs aſſignatum exprimit Obiectum. quàm corpus Mobile.

CONTROVERSIÆ SECVNDÆ.

I.

NAtura Primorum Principiorum in Philoſophia naturali talis eſt: vt nec fiant ex alijs Principijs prioribus ſe, nec mutuò ex ſeipſis. ſed ex illis omnia. Hoc autem totum, non vnâ & eadem ratione attribui poteſt tribus Principiis.

II.

INtrinſeca Principia rerum naturalium ſunt tantùm tria, nec plura nec pauciora. Materia, Forma, & Priuatio, duo in facto eſſe, tertium in fieri tantùm. Non omnia ſunt ſibi contraria, ſed Forma & Priuatio, tertium ſine contrarietate.

CONTROVERSIÆ
TERTIÆ.

I.

ORdine naturæ & originis, primum Principium est Materia prima: ex qua res omnes naturales fiunt, & in eandem resoluuntur. Est in rerum natura comprehensa in prædicamento substantiæ. distincta realiter à Forma secundùm essentiam. Idem cum Forma secundùm existentiam.

II.

ACtus Metaphysicus Entis, seu Essentiæ non est remouendus à Materia prima, Actus Physicus nullus ei tribuendus est: quia ex sua natura est simplex Potentia, non quidem Actiua sed Passiua.

III.

REspectiua Potentia non est de essentia Materiæ, sed distincta ab ea, similiter particularis & proxima Absoluta. Vniuersalis eiusdem entitatis & Essentiæ cum ea. Hæc eadem extenditur ad Formas Naturales, Substantiales, & Accidentales non item ad Formas Cælorum Substantiales nec Accidentales Spirituales.

IV.

OBedientialis Potentia respiciens supernaturale Agens, adest Materiæ primæ, in ordine tam ad formas corruptibiles amissas, quàm incorruptibiles & æternas.

V.

APpetitus Materiæ primæ ad Formas, naturalis & intrinsecus, sumptus pro Entitate absoluta & inclinatione, idem est cum Materia, quod si importet Priuationem aut Relationem ad Formas è contra.

VI.

INgenerabilem & incorruptibilem esse Materiam Primam ex sua natura per se, certissimum esto: per Accidens oppositum teneatur.

VII.

VNitas numerica negatiua Materiæ Primæ, fit per remotionem omnium Formarum, quomodo secundùm se sumitur, non vt est constituta sub varijs Formis.

VIII.

VIII.

INseparabilis est à Forma Substantiali communi, etiam per supernaturalem. & absolutam Dei Potentiam: & licet Accidens possit sic separari à Substantia, non item Materia, cum maior sit dependentia eius à Forma, quàm Accidentis, à Subiecto, in quo est.

CONTROVERSIÆ
QUARTÆ & QUINTÆ.

II.

SIcut Materia prima, ita & Forma Substantialis, in rerum natura dari debet, quæ sit Actus simplex, & Primarius Materiæ vnum per se cum illa constituens.

II.

Quidditas & Essentia rerum, magis à Forma, quàm à Materia haurienda est, quamuis ab vtroque pendeat

III.

LIcet Forma tam Specifica quàm Generica, sint Communicabiles, Numerica tamen est Incommunicabilis Communicabilitas illa à materia potiùs sumi debet

IV.

VNitas Formæ Substantialis infert vnitatem Materiæ, & è contra: hinc totum Physicum constat ex Materia & Forma, tanquam partibus Substantialibus, per Vnionem vnam numerò simplicem vnitis.

V.

PRiuatio quomodò sit Principium, indicat Contr. 2. Con. 2. Formaliter sumpta & secundùm suam Essentiam, non est Ens Reale, nisi secundùm quid.

CONTROVERSIÆ
SEXTÆ.

I.

NAtura est Principium & Causa Motus & Quietis eius in quo est, primò, per se, non aliena vi, nec secundùm Accidens: quæ

Definitio Metaph.accepta, est Descriptiua, Physicè. Essentialis. Natura dicitur de Materia & Forma, Analogicè non vniuocè.

CONTROVERSIÆ
SEPTIMÆ.

I.

CAusa est id, ad cuius Esse sequitur aliud; cuius Ratio Analogicè dicitur de Materia, Forma, &Priuatione. Quaternarius eius numerus, rectè agnoscitur, Materia Forma,Efficiēs & Finis. Prioris, Ratio Causalitatis est, dependere à sustentaculo Formarum, & ab eo, quod est Esse Id, ex quo Totum ipsum Componitur. Secundi ratio causalitatis consistit in Actuali infermatione Materiæ, reuocando eam à Potentia ad Actum. Tertij est, Rem per Motum producere vel mutationem: non autem Actioquæ est Conditio tantùm requisita. Quarti est: mouere Voluntatem Motione Methaphoricâ, præsertim si comparetur cum Agente Finis. nam si ad Media, comparetur, tunc conferre ipsis Bonitatem quandam, mediante quâ sequatur Electio Voluntatis & desiderium ad assequendum Finem: est vera Causalitas.

CONTROVERSIÆ
OCTAVÆ.

I.

LOcus est affectio Entis Mobilis, qui non est Materia, nec Forma nec Interuallum, sed Superficies vltima Corporis Continentis. Cuius Attributa à Philosopho enumerata, benè conueniunt superficiej.

II.

QVamuis plura corpora, per Supernaturalem & Absolutam DEI Potentiam, possint esse in eodem Loco, per mutuam penetrationem, non tamen vnum & idem numero corpus, reponibile est in pluribus Locis simul & semel, etiam Supernaturaliter, per proprias Dimensiones.

III.

Per

PErDimensiones alienas, non implicat contradictionem, vnum & idem corpus numero, esse in locis pluribus, simul & semel: sicut Corpus CHRISTI Domini, est in pluribus Ecclesijs, per Dimensiones Specierum, qui modus Essendi in locis pluribus, rectè dicitur Sacramentalis

CONTROVERSIÆ
NONÆ.

I.

VAcuum in rerum natura, naturali vi, dari nequit. Possibile tamen est, per Supernaturalem. Poteq; DEvs, imò & Intelligentiæ, efficere, vt motus detur in vacuo, nullâ id causâ naturali & quæ in mouendo, pendet à Corporibus cælestibus, efficiente.

II.

SVpposito hoc, quod vacuum Supernaturaliter. possit effici; Motus qui fieret in illo, siue sit Naturalis, siue Violentus, esset Successiuus non in Instantnaneus.

CONTROVERSIÆ
DECIMÆ.

I.

AD hoc vt Tempus (quod est Mensura & Numerus Motus secundum prius & posterius) detur; non est necesse vt partes ipsius Actu dentur, sed sufficit Instans vel Momentum, connectens partem priorem, cum posteriori. Tempus est Numerus, non Numerans quo numeramus, sed Numeratus & Applicatus Motui.

II.

SVbstantiæ Orbium, cælestium realiter differunt à Tempore, Motus verò, solâ ratione, ita vt Tempus & Motus, sit vna & eadem Entitas.

III.

 Neq;

NEq; in ratione Essentiæ, neque in ratione Mensuræ Tempus potest dependere ab Intellectu, & esse Ens Rationis, in Actu verò mensurandi quatenus nimirum in eo sumuntur partes priores & posteriores, eæq; applicantur ad aliquem motum, sic dependet à Ratione; siquidem hæc applicatio, à nullo alio fit, quàm ab Intellectu.

IV.

IMpropriè Tempus acceptum, non est vnum Numero, sed quot sunt Motus tot Tempora, si tamen propriè & ex sua natura sumatur: est tantùm vnicum Numerò, non verò Multiplex:

CONTROVERSIÆ VNDECIMÆ.

I.

MOtus est Actus Entis in Potentia, prout in Potentia: est definitio accurata Naturam & Essentiam Motus sufficienter declarans. Essentialis & non Descriptiua.

II.

ARtificiales & violenti Motus, non possunt supra definiti rationem participare Motus, Simpliciter & Absolutè, sed tantùm iuxta aliquam similitudinem.

III.

CÆlorum Motus etiam supra dictæ definitioni Motus nequeunt subiacere, ratione Totius Cæli, cùm sic non mutet locum, sed tantùm ratione Partium, quomodò dicitur mutare locum.

IV.

IN nullo certo & determinato Prædicamento, per se continetur Motus, Reductiuè tamen, ad illud Prædicamentum referri potest, ad quod refertur Terminus ipsius in quem fertur.

V.

COmmutatio, Accretio, & Motus localis, non differũt realiter à suis Terminis, sed tantùm ratione rationatâ. Motus localis quamuis realiter non differat à termino intrinseco differe tamen à termino extrinseco.

VI.

VI.

GEneratio sumpta pro præuiis dispositionibus præparantibus Materiam ad introductionem Formæ Substantialis, est verus Motus, sumpta pro Instantinea introductione Formæ in Materiam, non potest dici Motus.

VII.

VNitás Numerica Motus, requirit vnitatem Numericam Mobilis, Termini, & Temporis.

VIII.

SPecifica Essentialis vnitas motus, non à Termino à Quo, nec à Termino ad Quem Materialiter sumpto, sed á Termino ad Quem formaliter accepto, Vltimato. Vnitas verò Accidentalis ab Agente, non à Termino, desumenda est.

IX.

QVies (quæ est Cessatio à motu in Subiecto apto & nato moueri) siue sit in Termino à Quo motumque ipsum antecedat (siue in Termino ad Quem, prout denotat puram & Absolutam Priuationem Motus, contrariatur Motui, contrarietate Priuatiuâ. Quies vt significat statum aut consistentiam Mobilis in Formà acquisita, non est contraria Motui, sed potius est Perfectio Motus.

X.

COntrarijs motibus, nullum ens ratione vnius & eiusdem partis potest moueri. per accidens tamen & ratione diuersarum patium, oppositum tenendum est.

CONTROVERSIÆ
DVODECIMÆ.

I.

CÆlum non est ita Simplex. vt non sit compositum ex Materia & Forma, cum sit Substantia Materialis completa: sed dicitur Simplex, quatenus contrariarum Qualitatum est expers.

II.

MAteria Cælorum est diuersæ rationis à Materia Sublunarium rerum.

III.

INcorruptibiles sunt ex natura sua Cæli. quamuis constent ex Materia & Forma. Forma autem Cælorum tam secundùm veritatem quàm secundùm Aristotelem, non est de genere Animatorum, sed Inanimatorum.

IV.

PLanetæ Astra & primum Mobille influunt in hunc Sublunarem Mundum, ita vt singulis Speciebus rerum inferiorum, respondeant in cælestibus corporibus, peculiares Virtutes! quibus foueantur ac conseruentur.

V.

MOtu, Lumine, & Influentijs, Cæli agunt in inferiora, vbi Motus & Lumen, non pro Instrumentis sed pro ipsis Actionibus sumi debet.

VI.

CAliditas, Frigidas Humiditas, Siccitas, item Sapidum Odoriferum, Graue, Leue, Molle Durum, formaliter ista omnia non inueniuntur in Cælis.

VII.

ACcidentia ista, calor Lumen Siccitas Frigidas, Humiditas & Motus Localis, in his inferioribus, ab Astris causantur.

VIII.

CÆli Formaliter sunt Quanti, & Sphæricè perfectè figurati Sunt autem Vndecem mobiles, Duodecimum Immobile, quod dicitur Empyreum: & hoc est Quadratæ Figuræ, licet quo ad hanc partem quâ cingit Primum Mobile possit dici Circulare.

IX.

STellæ fixæ, similiter & Planetæ, exceptâ Lunâ, scintillare dicuntur. Illuminantur à Sole, ita tamen vt aliquid Luminis innati, ex se possideant.

X.

LVmen ex sua natura, est causa Caloris, cuius Radius cōpositus ex Directo & Reflexo, magis calefacit quàm solus Directus.

XI.

XI.

AStra, indirectâ Actione agunt in Intellectum & Voluntatem humanam, inclinando. non imprimendo aiiquid per se.

XII.

EX obseruatione Siderum & Planetarum possunt ab Astrologis certò præcognosci Ortus, Occasus Aspectus, Ecclipses, sed Frigora, Æstus, Tempestates, Pluuiæ, Venti, morbi sterilitates nonnisi Probabiliter.

XIII

INclinationes hominis, Temperamenta, & Naturalis ad benè vel malè operandum circa determinata rerum genera, Aptitudo: non verò Actiones ex humana voluntate pendentes, neque Successus Contingentes aut Fortuiti, possunt præcognosci.

CONTROVERSIÆ DECIMÆ TERTIÆ.

I.

ELementa neque in esse Summo in esse Remisso Formaliter manet in Mixto, sed Virtualiter & in Potentia.

II.

MIxtum continet Elementa Virtualiter, virtualitate Accidental i solùm nonsubstantiali: ita vt ideo dicantur manere virtualiter in Mixto quia in eo reperiuntur primæ, Qualitates quæ dicuntur virtutes Elementorum, non autem ideo, quia Forma Substantialis Mixti virrualiter includit Formas Elementorum.

III.

TEmperamenta dantur Nouem, Temperamentum vnum æqualitatis ad Pondus, Octo Diformia: quorum Quatuor sunt Simplicia Quatuor Composita: per Temperamentum intelligitur Primarum Qualitatum symetria & concordia.

IV.

ELementa sunt quatuor, per suas Formas Substantiales constituta & distincta.

V. Ge-

V.

GEnerabilia & Corruptibilia ſunt Elementa & ſecundùm partes, & ſecundùm Totum: Actuali tamen corruptione, tantùm ſecundum Partes.

VI.

QVoduis Elementum è quouis immediatè generari poteſt, ſiue ſint Symbola, ſiue Diſsymbola.

VII.

CVilibet elemento propriæ conueniunt qualitates, vt Igni caliditas & ſiccitas in ſummo, Aëri caliditas & humiditas, remiſsè, Aquæ humiditas in ſummo, frigiditas infra ſummum, Terræ frigiditas in ſummo, ſiccitas remiſsè.

VIII.

QValitates primæ ſunt quatuor, nec plures nec pauciores - neque dantur aliæ virtuales eiuſdem nominis. E quibus ignis & frigus ſunt magis Actiua quam humiditas & ſiccitas.

IX.

GEneratio eſt Actio productiua Compoſiti Subſtantialis dependenter à Subiecto, diſtincta ab Alteratione, Creatione. & Conuerſione.

Sit nomen Domini benedictum.